

[Faint, illegible handwritten text on aged paper]

1
2
3
4
5
7
8
9
10
11
12



9572

ffo 217. 23

I. N. J. 1677 7

JURAMENTUM DIFFESSIONIS

MODERANTE

D. N. HEINRICO Sinden / D.
& Antecess.

Ad diem 4. April. A. 1677.

IN CELEBERRIMA ALTDORFFINA

publicæ Eruditorum disquisitioni

subjiciet

JOHANNES JACOBUS Uffenbach /
Mœno - Francof.

ALTDORFFI,

Typis HEINRICI MEYERI, Univ. Typogr.

MUTUAMENTUM
DIFFISIONIS

DEO,


PATRIÆ

&

PARENTI.

In Typis Henrici Meyeri, Univ. Typogr.





IN NOMINE JESU!

Proëmium.



*P*rima nititur ratione, quod quilibet scripturam contra se productam absq. Juramento vel recognoscere, vel cum Juramento diffiteri teneatur. Non enim sola scriptura privata contra scribentem plenam fidem facit, l. 11. C. qui pot. in pignor. l. 13. l. 14. C. de probat. c. 2. §. de Fid. Instr. cum & vitiosa instrumenta, fictitiaq. subscriptiones nomine alterius supponi, sicq. per varia falsitates committi queant. Bart. in d. l. 11. n. 4. Proinde, ut omnis avertatur fraus, illi verò, contra quem instrumentum productum est, conquerendi auferatur ansa, recognitioni adversæ partis instrumentum productum merito submitti debet, ita ut recognitione hoc modo facta, quæ semper præcedere debet, l. 15. §. ult. ff. de reb. aut. Jud. possid. ex propria confessione reus teneatur, ut qui, instrumentum recognoscendo, contenta in eo fatetur. Quare in l. 25. §. ult. ff. de probat. & l. 19. C. de fid. Instr. recognitio debitoris vim propria confessionis habere dicitur, cui omnino standum est. Non statim tamen contra scripturam neganti fides habetur. Hoc ipsò enim qui vis productum contra se instrumentum facillimo negotio posset declinare; Sed negativa assertio juramento, sine quo non creditur neganti, confirmanda est, quod ob id Juramentum diffessionis, vocatur. Cum igitur illud in foro non sit infreqvens, & hætenus, quantum ego quidem percepì, nondum ab aliis prolixiori stylo pertractatum, operæ pretium me facturum arbitratus sum, si methodicam ejus evolutionem, pro ingenii viribus, publicæ Eruditorum censura subjicerem. Hoc verò

A

ut

ut feliciter cedat, Te, Benignissime JESU! in cuius nomine ad omnia consilia actusq; progrediendum, suppliciter veneror, ut principium, medium & terminus hujus laboris esse velis.



CAPUT I.

I.
Definitio
nominalis

Certum est, vocis considerationem, quâ mens ad rem ipsam cognoscendam melius præparatur, ad ipsius rei tractationem quasi januam ac viam esse. Quoniam verò *juramenti* vocabulum in vulgus notum, ideòque prolixâ explicatione non indigere arbitramur. Sufficiat innuisse, *juramentum*, à jurando dictum, hic sumi pro actu religioso, quo in majorem alicujus enunciationis fidem, Deum, ut ultorem & vindicem, si fallamus, invocamus. *Magnific. Dn. Lauterbach/ Jctus famâ suâ major, in tractat. Synopt. part. 3. Digestor. §. 1. th. 1.* Quamvis enim nonnullis Juramentum nihil aliud sit, quam confessio religiosa ad faciendam fidem, quam non solum nominato Deo, sed & aliis rebus fieri posse, per exempla tum veteris, tum novi Testamenti & Ecclesiæ primitivæ declarant, vid. *Grot. d. J. B. & P. lib. 2. cap. 13. §. 11. num. 1.* hocque ulterius exinde confirmandum esse censent, quod Ecclesia orthodoxa non improbaverit formulam jurisjurandi, quæ habetur in *Nov. 8. tit. ult.* publicè quantumvis receptam, & omnibus notissimam; Attamen, re accuratiùs considerata, essentialem Juramenti formam in solius Dei invocatione consistere videmus. Cum enim Juramentum eum in finem interponatur, ut enunciationi major concilietur fides, alter de ea securior reddatur, simulque jurans ad assertionis veritatem & promissi præstationem adstringatur, idque sub periculo amittendæ gratiæ Divinæ & metu æterni exitii; Ea propter sanè illum solum invocandum esse ducimus, qui est omniscius, justis-

justissimus & omnipotens, qualis est solus verus DEUS. *Deut.*
6. vers. 13. Dn. Lauterbach d. J. 1. th. 20. ibiq. alleg. Thumm.
Thom. Hobbes in Leviath. p. 1. c. 14. sub fin. Ames. de Cas. Consc. lib. 4.
cap. 22. n. 6. § seqq. Frantz. ad Pand. tit. de Jurejur. num. 20.
 § seqq. Synonymiam quod attinet, constat interdum *Sacra-*
mentum, l. 12. C. de reb. cred. l. 14. princ. C. de Judic. interdum
 etiam *Jurjurandum* & *Dejurium* vocari. *Dn. Strauch. Jctus*
celeberrimus, Diss. ad Jus Justin. 25. aphor. 24. Germanicè ein
Eyd / Eydschwur. Vocabulum *difessionis* à verbo *diffiteri*,
 & illud à primitivo suo *fateri* derivari, in aprico est. Idem
 verò est, quod *negare*, *inficiari*. Unde *diffiteri* documenta
 denotat, illa non approbare, aut non admittere, quod quis
 vel neget, *esse propriam manum ac sigillum*, daß das angegebene
 Document seine eigene Handschrift und Siegel nicht sey / vel et-
 iam *inficietur*, *se haud nosse manum ac sigillum*, daß Er in denen
 producirten Documentis die Schrift und Siegel nicht kenne.
 Cum enim documenta probatoria parti adversæ maximum
 inferant præjudicium, ea semper interroganda est, utrum
 ista documenta pro veris habeat nec ne. Si habet, dicitur illa
 recognoscere; si non habet, dicitur ea *diffiteri*. *Blum. in*
Proc. Cam. tit. 63. num. 49. Definitionem nominalem, jam
 excipit *realis*. Definitur verò, vel potius describitur hoc
Juramentum difessionis per Juramentum, quo scripturas re-
cognoscere recusantes illas diffiteri tenentur. *Dn. Lauterbach*
cit. loc. th. 54. Cum enim scripturis vel instrumentis, absque
 prævia adversæ partis recognitione, fides non habeatur, nec
 tamen neganti, ac propterea recognitionem renuenti, sta-
 tim credatur, ideò negativam assertionem juramento
 confirmare debet. Unde quis tenetur recognoscere suam
 manum sine juramento, sed *diffiteri* cum juramento. *Brun-*
nemann. de Process. Civil. c. 19. num. 30.

6.

7.

8.

9.

Definitio
realis.

CAP. II. Dividitur hoc *Juramentum Difessionis in Veritatis*
 & *Credulitatis*, ita ut *veritatis* deferatur in *difessione* pro-

I.

Divisio. in
veritatis &
credulitatis



- pria scriptura, credulitatis verò in diffessione aliena. Carpzov. p. 1. Dec. 38. n. 5. & seq. Nicol. in Proc. p. 1. c. 53. n. 12. & seq.* Hoc enim servatur in omnibus, quæ facti sunt alieni, ut super iis non juretur, nisi de credulitate. *Mev. p. 6. Decis. 277. n. ult.*
2. *Hinc si debitor, ex proprio obligationis instrumento conventus, hoc diffiteri velit, de veritate ipsi jurandum esse, nemo negabit, nec enim quisquam alius exactiorem manus suæ, quam ipsemet notitiam habet. Unde merito jurare debet, daß es seine Hand und Siegel/ vel quod eodem recidit, sein Brief und Siegel nicht sey. Carpz. cit. Dec. 38. n. 5.* Si verò heredi ob manum defuncti deferatur hoc Juramentum, non nisi credulitatis erit. Juri enim non convenit, ut hæres de veritate juret, quia probabilis est ejus de alieno seu defuncti facto ignorãtia, nec adigendus est jurare de scientia, quam non habet. Unde ultra urgeri nequit, quam ut de credulitate juret, daß Er nemlich weder Hand noch Siegel kenne. *Nicol. in Proc. p. 1. c. 53. n. 12.* Super veritate siquidem scripturæ, quam quis nescit, juramentum imponere, est perjurio occasionem præbere, atq; animam in periculũ adducere. *Mev. d. Dec. 277. Add. Hillig. ad Donell. lib. 24. cap. 21. in not. lit. U. atq; Carpzov. lib. 3. Respons. 60.* Confimili modo, quia non ab iis tantummodo, qui notitiam manus tertii habent, *juramentum Diffessionis* exigitur, sed etiam ab illis, qui ignorantiam manus atq; sigilli alterius prætendunt, ne *diffessionem juratam* effugiendi cuivis detur occasio, *Carpzov. lib. 3. Respons. 80. num. 20. & seq.* etiam eo in casu, ubi scriptura aliena ad recognoscendum vel diffitendum producitur, *Juramentum diffessionis* pro jurejurando *Credulitatis* habendum erit.
3. *Quia jusjurandum diffessionis, quod super alienã manu & sigillo præstatur, non est facti proprii, sed alieni, de quo conscientia jurantis haud gravari potest. l. 11. §. 2. ff. de act. ver. amot.* Unde *Coler. p. 1. Decis. 116. n. 8.* notanter tradit, quod propter ignorantiam non habeat locum juramentum, nisi de credu-

credulitate. Vid. Schneidew. in §. it. si quis postulante. 11. Inst. de action. n. 88. atq; Carpzov. d. dec. 38. n. 7. §. seq.

CAP. III. *Causa efficiens remota* hujus Juramenti est non tam aperta juris decisio, quam consuetudo ac mos judiciorum. Imman. Sutor. de Edend. membr. 2. c. 1. th. 136. Mev. cit. decis. 277. qui licet in Saxonia præprimis obtineat, nihilominus tamen etiam in aliis Judiciis nostri Imperii est receptus. Scripturæ enim privatæ fides non habetur, nisi recognita fuerit, inde ex consuetudine judiciorum, post primam istius documenti productionem, recognitio injungitur, ex quo præcepto tenetur adversarius aut confiteri, aut diffiteri mediante juramento, sine quo non creditur neganti. Moller. lib. 4. Semestr. cap. 43. n. 1. Mev. cit. Decis. 277. n. 1. Nonnulli quidem recognitionem Instrumentorum, sicq; etiam *diffessionem juratam* extra provincias & terras Saxonicas non obtinere contendunt, ex quorum numero primus videtur esse Carpzov. in Process. tit. 14. art. 2. n. 9. 10. & 11. Sed affatim refutantur per Ordinat. Cam. part. 1. tit. 30. clariùs per novissimum Imp. Recessum de Anno 1654. §. Hätte dann der Kläger. 39. in verb. Auch in puncto recognitionis auf des Klägers Erfordern sich der Gebühr recognoscendo vel diffitendo unter gewöhnlichem Præjudiz und Straffe der Procuratorn vernehmen lasse. Item in §. Wann nun der Beklagte. 45. alleg. Recess. Denique etiam per Reform. Francof. part. 1. tit. 31. Von Beweisungen/ so durch schriftliche Urkunden. 2c. §. 9. ibi: Solche Brief / so fern die Siegel und die Handschriften derselben recognoscirt und erkannt werden / seynd zu einer rechtmässigen Beweissung gnugsam. 2c. Add. Umm. Disp. ad Process. 17. n. 24. ferè in med. atq; Gail. lib. 1. de P. P. c. 15. §. 14. & 15. Imò nec Jure communi recognitionem planè esse incognitam, l. 56. d. V. S. & l. 15. §. fin. ff. de reb. aut. jud. possid. demonstrant. *Causa efficiens proxima* est Judex, Senatus, Regimen, aut Curia Electoralis sive Ducalis, Germ. das Churs oder Fürstliche Hof, Gericht.

I.
Causa Effic.
remota.

2.

3.

4.

Causa efficiens proxima & impulsiva.

impulsiva verò hætenus subinde adducta est. *Add. Imman. Sutor. cit. cap. 1. th. 137.*

1. **Subiectum.** CAP. IV. *Subiectum* constituunt *personæ*, jurato instrumenta diffidentes, quales sunt non tantum illi, contra quos documenta in iudicio producuntur; Sed etiam testes, per quos producens, ad evitandam *juratam diffessionem*, recognitionem peragere vult. Hi namq; si recognitionem recusaverint, ad nostrum juramentum obstricti sunt. *Vid. Carpzov. p. 1. Dec. 38. n. 18.*
2. Quilibet ergo, qui documenta recognoscere debent, illa jurato diffiteri tenentur. *Nicol. in Proc. p. 1. c. 53. n. 3.* modo à recognitione alias non arceantur, de quibus *vid. Sutor. cit. tractat. membr. 2. th. 138. § seq.* ac juramenti vim & rem, de qua illud præstandum, intelligant, nec lege specialiter prohibeantur, *vid. Frantzk. lib. 2. Resol. 1. num. 9. § seq. Setser. de Juram. lib. 1. cap. 4. n. 3.*
3. etiamsi *literarum plane ignari* sint, *Carpz. in Proc. tit. 14. art. 2. n. 67. § seq.* Quamvis enim meliorem forsàn quis dixerit conditionem ejus, qui *literarum ignarus* est, propterea, quod nec scripturam suam, quæ nulla est, & nunquam fuit, nec etiam alienam, cujus notitiam propter *literarum ignorantiam* non habet, recognoscere queat; Attamen nec ob *ignorantiam literarum exemptionem à jurata diffessione* concedendam esse, svadet hæc ratio, quod verendum aliàs sit, ne quilibet, ad declinandam *diffessionem juratam*, ignorantiam *literarum prætendat*, eoqve modo producentis intentionem eludat. Necq; hoc in passu *literarum ignarus* deterioris sortis est, ac ille, qui legere pariter ac scribere callet. Nam uterqve id juratò fateri necesse habet, quod scripturam & sigillum haud noscat, quod sanè eò facilius asserere potest *literarum plane ignarus*, in quem nulla falsi asserti cadit suspicio. *Vid. Carpzov. p. 3. Dec. 233. n. 8. § seq.*
4. Sed hac occasione quæritur: *Utrum hoc juramentum etiam per intermedias personas possit præstari? Affirmativam* sanè prægnantes svadent rationes. Si enim re-

cogni-

cognitio fieri potest non tantum per ipsas personas principales, sed etiam per procuratores speciale mandatum habentes. *Moller. lib. 4. Semestr. cap. 43. n. 3. Rulant. de Commissar. part. 2. lib. 5. cap. 39. n. 4. sub fin. Nicol. in Process. p. 1. cap. 53. n. 6. sequitur*, quod etiam *Juramentum Diffessionis* per intermedias hasce personas possit præstari, quia contrariorum est eadem disciplina; Licet fateamur, quod in casu, ubi procurator negat se scripturam aut sigillum nosse, ejusdem dicto non stetur, sed dominus ipse illud Juramento vel diffiteri, vel etiam ad jurandum mandatarium specialiter constituere cogatur. *Moller. lib. 4. Semestr. cap. 43. Rulant. de Commissar. part. 2. lib. 5. d. c. 39. n. 4.* Illud namque certum & notorium est, quod hodiè non tantum in Camera Imperiali, sed etiam in plurimis Principum & Statuum Curiis regulariter permisum sit, Juramentum præstare per procuratorem, speciale mandatum habentem. *Vid. Ord. Cam. part. 1. tit. 65. & 66. Concept. ren. Ord. Cam. p. tit. 87. & 88. Setser. lib. 1. de Juram. cap. 14. num. 10.* Suboritur quidem circa Juramentum, per procuratorem nomine alterius præstandum, non minimus scrupulus propterea, quod Jusjurandum quodvis jurantis conscientiam obstringat, adeoque personalissimum sit, *cap. 14. de Jurejur.* Unde *Just. Oldekop. in speciali Dissertatione de Jurejur. in alter. anim.* id ipsum latè considerat, tandemque concludit, juramentum, per procuratorem in alterius animam præstitum, Jure Divino videri absurdum & irreligiosum, Jure Gentium inauditum, Jure Civili prohibitum, Jure Canonico non approbatum, simulque Reipublicæ perniciosum, imò, quoad essentiam & definitionem juramenti, non esse verum & essenziale juramentum, sed tantum instar juramenti. Atque huic *Oldekop. sententiæ* plures, interque eos *Immanuel. Sutor. cit. tractat. membr. 2. cap. 2. th. 161.* suffragantur, quibus hæc propositio: *Qui possunt recognoscere, illi etiam diffiteri queunt*, ne utique reciprocabilis ac convertibilis

6.

7.

8.

9.

bilis

- bilis videtur, propterea, quod in foro Saxonico nec procurator vel curator, alterius nomine jurare volens, quantumvis ad hoc habeat speciale mandatum, admittatur, *per text. express. Ord. Process. Jud. Elect. Saxon. tit. 25. §. Weil es auch. Carpzov. p. 1. Constit. 17. def. 19. Nicol. in Process. p. 1. cap. 53. n. 6.*
10. Verum sicut omnia *Oldekop.* argumenta examinare, nec temporis nec instituti ratio permittit; Ita quoque illa consuetudo Saxoniae, quae stricti juris est, & forum loci ac provinciae non egreditur, *Bald. in Authent. Qui rem. C. de SS. Eccles.* nos parum obstringit, praeripimus cum contraria sententia tam de Jure Civili, *per l. 23. l. 24. l. 25. ff. de Jurejur.* quam Canonico, *per cap. fin. de Juram. Calumn. in 6.* sufficienter probetur, modo procurator habeat speciale mandatum, *dict. cap. fin.* Vid. omnino *Eckolt. ad ff. de Jurejur. §. 18.* ubi nostram assertionem solide tuetur. Unde quando hodie per procuratorem speciale mandatum habentem, juramentum in alterius animam praestatur, procurator ille in hoc actu magis nuncii, quam veri procuratoris officio fungitur, ac nudum ministerium praestat. Ipse enim verba jurantia non dirigit in suam, sed mandantis animam, ita ut vinculum hujusmodi juramenti non in persona procuratoris, sed statim in persona mandantis constituatur ac radicetur, sicque in rei veritate ipse mandans per hujusmodi procuratorem, *veluti organum vocis & ministerium*, juret, ut ipse quoque agnoscit *Seraphin. de Seraphin. in tr. de Privileg. Jurament. Vid. Dn. Caüterbach in Dissertat. de Nuncio th. 30. 35. & seq.*
12. Praedicta quoque assertio, quod in foro Saxonico Juramentum quodvis, & sic etiam nostrum, in propria persona sit praestandum, fallit quoad tutorem, secundum ipsius Juris Saxonici Interpretes. Ne enim suspendenda veniat causa usque ad annos pubertatis, quod fieri necessum foret, si ipsemet pupillus jurare teneretur; Ideo ad lites abbreviandas, hoc juramentum, consentiente praeripimus adversa parte, tutori

tutori potius injungendum, quam in longius tempus differendum est, præsertim quia *Jusjurandum Diffessionis* conscientiam non tam arcte ligat, sed sufficit, si illud de credulitate saltem præstetur, vel etiam de ipsa ignorantia, quod nullam ejus rei jurans habeat notitiam, *daß er weder Hand noch Siegel fenne.* Cum ergo juramenta quoque legalia tutor præstare soleat, uti probat *Berlich. part. 2. Dec. 164.* quidni etiam *Jusjurandum Diffessionis*, quod & ipsum legale est, *Berlich. dict. loc.* Quod si verò Universitas, Collegium & Communio sua documenta & sigilla mediante juramento diffiteri velit, id ipsum non tam per Syndicum, sed potius per *Seniores*, quibus res melius comperta est, peragere debet. *Ord. Cam. part. 2. tit. 10. §. 1. atq. Const. Elect. Saxon. 13. p. 1. ibiq. Carpzov. Sutor. dict. cap. 2. th. 162.*

CAP. V. *Objectum* hujus juramenti constituunt omnia *Instrumenta*, id est, *Scripturæ*, *Syngraphæ* & *Sigilla*, quæ recognitione opus habent, neq; tantum *scriptura* sive manus propria, sed & *aliena*. Quondam eadem hac de re multum fuit dubitatum, obtinuit tamen usu, ut, ad petitionem actoris, reo quoque alienæ manus injungeretur diffessio. *Vid. Carpzov. part. 3. Decis. 233. n. 13. & seq.* Hæcque opinio disertè confirmata est per *Ordin. Proc. Jud. Saxon. tit. 25. §.* *Weil es auch.* Quia verò instrumenta in *privata* ac *publica* alias distinguuntur, ideò quoad *privata* observandum, quod illa de jure communi solummodo *objectum* recognitionis, sicque etiam *jurata diffessionis* constituent, *arg. l. 10. C. de. fid. Instr. Nov. 73. c. 1. & Auth. Si quis. C. qui pot. in pign.* Et quidem tum ratione ipsius *scripturæ*, tum etiam ratione *sigilli*, perinde ut scriptura privata sigillata pro sigillante nihil probat, nisi sigillum quoque fuerit recognitum. *Imman. Sutor. in tr. de Edend. membr. 2. cap. 4. th. 187.* Porro *jurata* quoque *diffessioni* subjacet instrumentum, quod sigillum solum appositum habet, licet manu sigillantis nec scriptum, nec subscriptum fuerit, quia

B

sigil-

13.

14.

15.

1. Objectum

2.

3.

4.

5. sigillum etiam absq; subscriptione probat, præsertim quoties apparet, consensu ejus, ad quem istud pertinet, appositum fuisse. *l. 2. C. de reb. alien. non alien. ibiq; Gloss.* Hinc & subscriptio & sigillatio parificantur. Imò sigillum habet vim subscriptionis. *Vid. Moller. lib. 4. Semestr. cap. 43. Berlich. part. 1. Concl. 36. n. 35.* Idem juris obtinet in documentis scriptis vel subscriptis absq; sigillo. *Coler. de Process. Execut. part. 3. cap. 1. num. 98.*
6. Tandem quoq; huc pertinet documentum, quod quis suo nomine confecit, licet nec sigillatum, nec scriptum fuerit. Quantumvis enim scriptura illa plane non probet, attamen cum producenti non parum adminiculetur adversus illum, qui sua manu suoq; nomine eandem confecit, ea propter vel recognitio, vel jurata diffessio omitti nequit. *Vid. Sichard. ad rubr. Cod. de probat. n. 7. Coler. de Process. Execut. part. 3. d. cap. 1. n. 98 atq; Imman. Sutor. d. cap. 4. th. 188.*
7. Et hæc quidem de instrumentis privatis sufficiant. Quod verò publica concernit instrumenta, illa recognitione opus non habent, ergò nec jurata diffessione, quoniam per se plenam fidem faciunt, idq; satis probat *l. 11. C. qui pot. in pignor. l. 13. C. de donat. Coler. de Process. Execut. part. 3. c. 1. num. 92. 93. & seq.*
8. Et quamvis in foro Saxonico etiam publica instrumenta recognoscenda veniant, teste *Heig. part. 2. q. 7. num. 3. & Berlich. p. 1. Concl. 44. n. 31. sub fin.* Attamen ad eorum diffessionem juratam nemo, etiam in hoc foro, admittendus est, veluti sancitum est à moderno *Sereniss. Elect. Saxon. per Decis. noviss. 74.* in verbis: *Jedoch mit diesem Bescheidt / daß keiner wieder selbstge / in Ansehung derselben Glaubwürdigkeit / mit Endlicher Diffession zugelassen werden solle.* Durum enim esset arbitrio jurantis, imò periculo perjurii, probationem instrumentorum vel documentorum publicorum committere, quorum fides est longe major, quam scripturæ privatæ, eiq; multum præponderat, ut hinc circa *diffessionem juratam* diversa existat ratio, quæ illud jus aliquo modo temperat. Cumq; uti antea dictum,
- 10.

dictum, Jus commune instrumentis publicis plenam fidem attribuerit, *per alleg. l. 11. C. qui pot. in pignor.* omnino videtur tutius, in ficta recognitione (quod scil. ob contumaciam rei pro recognitis habeantur) subsistere, quam ulteriorem fidem desiderare. Hinc dicitur, quod autoritas judicialis nullo indigeat supplemento, sed plenissimam mereatur fidem. *Wesenb. in parat. ff. de Fid. Instr. n. 4.* Instrumenta verò publica non saltem intelligimus ea, quæ in Archivis reperiuntur, vel judicialiter coram Magistratu confecta fuere, sed hoc nomine accepta quoque volumus documenta à Notario & testibus in formam publicam redacta, si desuper instrumentum solenne per Notarium fuerit confectum. Nam & ad hujus *juratam diffessionem* pars adversa minime admittenda est, sed si detrectet recognitionem, id etiam pro recognito erit habendum. *Fides enim* Notarii æquipollet fidei Magistratus seu Judicis, & unam eandemque operatur probationem, nec opus habet instrumentum ejusmodi ulteriori probatione, sed per se plenam facit fidem, estque præsumptio pro Notario in bonam partem, cui omnino credendum in iis, quæ attestatur coram se gesta esse. *Fab. in Cod. lib. 6. tit. 5. defn. 10. num. 7.* Quia itaque utriusque instrumenti, tam judicialis, quam à Notario confecti, æqualis est fides & probatio, uti jam deductum, utriusque etiam in passu *juratæ diffessionis* æqualis erit ratio. Scriptura autem à testibus solummodo & Notario subscripta instrumento desuper haud confecto, omnino requirit *diffessionem juratam*, si pars adversa recognoscere nolit, nisi testes ad minimum duo subscriptionem suam confirmaverint, quod si fiat *Juramento Diffessionis* opus non est, quia per testes intentio partis adversæ est probata, *Coler. de Process execut. part. 3. cap. 1. n. 138.* Non enim ipsa scriptura, sed testes veritatem arguunt negotii, quod inter contrahentes actum est, modo assertionem suam testes juramento confirmaverint. *l. 9. C. de Test. cap. 5. c. 41. §. de Test.* Quod au-

11.

12.

13.

14.

15.

- tem hactenus *de jurata diffessione* documentorum dictum est, id aliter non accipiendum, quam de iis scripturis & documentis, quibus producentis intentio potest doceri ac demonstrari. Hinc excluduntur (1.) *documenta, quæ nihil probant*, cum nemo *sacramentali diffessione* documentorum irrelevantium gravari debeat. *Ord. Proc. Jud. Saxon. tit. 25. §. Weil es auch allein/che es &c.* nisi adhuc dubitetur, an documentum sit irrelevant, an verò producenti adminiculari possit. (2.) Illa *documenta*, quæ quidem non carent subscriptione & sigillo illius, adversus quem producuntur; Attamen *eius nomen in tota scriptura non exprimunt*, ut non appareat, cuius nomine confecta sint. Obstat siquidem illis exceptio: Non sum nominatus in instrumento, unde deficit effectus scripturæ & executio contra scribentem. Nam quod scriptura non cantat, nec nos cantare debemus. *Bald. in l. ad probationem C. de probat. n. 1.* Unde *Joseph. Mascard. de probat. vol. 2. Concl. 627. n. 40.* tradit, epistolam, quæ non continet nomen scribentis, nihil probare, etiamsi eius sigillo signata sit (3.) *Charta glauca*, sive charta bibula, emporetica, *Leschpapter / Maculatur, Umschlag / Fliespapier &c.* Cum ad probandum sit invalida. *Vid. Imman. Sutor. cit. cap. 4. th. 221.* ubi illustrationis gratia notabilem addit casum. Deniq; (4.) *sigilla suspecta ac documenta invalida*, utputa, lacerata, cancellata aut deleta. Observandum vero, non omnem cancellationem vel deletionem falsum reddere instrumentum, sed tunc demum, si in parte substantiali fiat, aut eâ parte, ubi crimen falsi committi potest, ita ut ex contentis reus convinci nequeat; Tunc enim ipsi non præjudicat, adeoq; nec *sacramentali diffessione* onerandus est, quia effectus *juramenti diffessionis* potissimum in eo consistit, ut pars adversa, contra quam documenta sunt producta, neget eorum contenta; Sed quid opus est anxius in documentorum veritatem inquirere, si nihil probent, frustratorios enim actus improbant jura, *l. 3. pr. ff. de jure-*

de jurejur., & nemo sacramento frustraneo adstringi debet, cum metu Numinis Divini nemo facile jurare velle credatur. *l. 8. ff. de condit. Inst. arg. l. 21. l. C. de fid. Instr.* Neutiquam tamen huc pertinent instrumenta diversi characteris vel scripturæ. Fallitas quippe non præsumitur ex differentia, quæ in syllaba ac litera consistit. *Farinac. lib. 1. Dec. 70. num. 7.* Cum manus scribentium mutari soleant quandoq; ratione temporis, quandoq; ratione morbi, quandoq; ex qualitate atramenti, hyemis, æstatis vel ebrietatis. Vid. *Farinac. Consil. 164. num. 5.* ubi tradit, quod non possint omnes cause, ex quibus nascitur dissimilitudo literarum diversis in scripturis, eademq; manu scriptis, enumerari. *Conjung. Imman. Sutor. cit. cap. 4. th. 200.* ubi addit, quod non semper instrumentum, tanquam irrelevant, impugnari possit, in cujus margine verba diverso atramento sunt scripta.

21.

22.

CAP. VI. Jam *modus & forma*, quomodo *Juramentum Diffessionis*, ut fidem mereatur, præstari debeat, in considerationem venit. Quia itaque, juxta hætenus tradita, quodvis instrumentum privatum ac sigillum recognoscendum, vel mediante juramento recusandum est, antequam ad *diffessionem* Judex progrediatur, omnino requiritur, ut *citatio* ad eam faciendam emittatur, & ut postmodum in *judicio*, & quidem per actuale juramentum, quod quandoq; *veritatis*, quandoque *credulitatis* est, peragatur, causâ tamen *diffessionis* semper expressa, tum ut animadverti possit, an *diffessio* forsitan ex malicia facta sit, tum etiam, ut adversa pars melius scire possit, quatenus probatio suorum documentorum ipsi incumbat. Vid. *Blum. in Proc. Cam. tit. 63. n. 49.* Præstari ergo (1.) debet *Juramentum Diffessionis*, *citatione* prius decreta, & quidem causam litigii, quæ hic est *diffessio*, exprimente. Quia *citatio* est principium ac fundamentum *judiciorum*. *§. fin. Inst. de pæn. tem. litig. cap. Quoniam contra d. de probat. Clem. Pastoralis de re jud.* *Citatione facta* (2.) in-

I.
Forma.

2.

3.

B 3

stru-

- strumentorum diffessio in loco judicii, & quidem illius, ubi instrumenta sunt producta, peragi debet. *Coler. de Process. Execut. part. 3. cap. 1. n. 104.* Nemo enim inficias ibit, *Juramentum Diffessionis* pro actu judiciali habendum esse, ut hinc merito in judicio expediendum sit. Sæpè tamen fieri solet, ut instrumenta in alia sint provincia, vel in Archivo publico, unde non sine difficultate extrahi, & in locum judicii ad *diffessionem* apportari queunt, quare quaeritur: *Ubi tunc diffessio peragenda?* Hoc casu sane, quo aliàs intermediae personæ à judice ad locum illum, quo instrumenta reservantur, ablegantur, ut videant originale instrumentum, ac de ejus effectu ac substantia fidem referant Judici, pars adversa, contra quam instrumenta ejusmodi producuntur, ad locum illum evocari debet sumptibus producentis, ut ibidem instrumenta diffiteatur. *Imman. Sutor. cit. tractat. cap. 5. th. 232.*
- 4.
5. *Berlich. p. 1. concl. 44. num. 58.* Unde (3.) fluit, quod hoc *Juramentum Diffessionis actualiter*, juxta ritus in judicio receptos, præstandum veniat. Leges enim Civiles, ut major sit juramentorum reverentia & religio, certas ut plurimum requirunt solennitates, quæ licèt ad formam juramenti substantialem non pertineant, neque enim Deus ceremonias illas, sed cor ipsum respicit. *c. Jurament. c. 22. quest. 5. Frantzck. ad Pand. de Jurejur. n. 17.* ad juramentum tamen solenne corporale, quale etiam hoc nostrum *Diffessionis* est, omninò sunt necessariae, ut ne quidem per æquipollens suppleri possint. *Rauchbar. part. 2. qu. 2. n. 89. Dn. Lauterbach de Jurament. §. 1. th. 24.* Hoc tamen notandum, quod non semper necesse sit, ut recognitio aut *diffessio* peragatur in loco judicii, sed mitti quandoq; solent Assessores nonnulli cum Notario vel Actuario Judicii ad ædes, verb. gr. si documenta recognoscere vel *juratò diffiteri* teneantur foeminae, quæ in magna dignitate constitutæ sunt, ut non facillè in publicum prodeant. Idem juris obtinet in valetudinariis, viris egregiis, illustri-
- 6.
- 7.

illustribus, aliisque excellentioris dignitatis personis, *arg. l. 15. ff. de Jurejur.* quando nempe Judex justa ex causa illorum honori & existimationi parcendum existimat, tunc siquidem ad illorum ædes mittere solet instrumenta, ad hoc ut recognoscant vel *diffiteantur*, eorundem tamen expensis, qui talem postulant missionem. *Berlich. p. 1. concl. 44. n. 5.* Quamvis enim *Juramentum hoc* regulariter apud acta præstandum sit, id tamen perpetuum haud est, sed multum potius hac in re autoritas & arbitrium judicis valet. Etenim, iudice existimante, is qui in provincia degit, ad iudicem non semper venire debet jurisjurandi præstandi causâ, sed & in provincia juramentum dare, id est præstare potest, ut Justinianus denotat in *l. generaliter. §. his de presentibus. C. de reb. cred.* Unde Iustus Paulus in *l. 15. ff. de jurejur.* expressè dicit, *ad personas egregias, eosque qui valetudine impediuntur, domum mitti oportet ad jurandum.* Vid. *Setser. de Juram. lib. 3. cap. 7. n. 3. & seq. ad Brunnem. ad d. l. 15.* ubi pariter recensent, quæ personæ egregiæ sint. *Add. Carpzov. in Process. tit. 14. art. 2. n. 85.* Requiritur tamen hoc in casu consuetæ quoque solennitates atque ritus in præstandis juramentis aliàs adhibendi. Est verò (4.) in hoc *diffessionis juramento*, uti jam antea monitum, quoad *propriam scripturam* reus eò adigendus, ut *de veritate juret, daß es seine Hand und Siegel/* vel quod idem est, *daß es sein Brief und Siegel nicht sey.* Quamvis *Carpzov. Dec. 38. n. ult.* moneat, quod in *diffessione propriæ scripturæ*, sæpissimè non nisi *credulitatis juramentum* reo injungatur, propterea, quod sub eo hoc in casu ipsum veritatis jusjurandum comprehendatur. Nam qui jurat, se non nosse manum ac sigillum, hoc ipso negat propriam scripturam, propriumque sigillum, ut hinc in *diffessione propriæ scripturæ* non multum hac de re laborandum. Si verò *aliena sit scriptura*, sufficit, ut quis *juret duntaxat de credulitate & notitia*, quod scilicet credat & probabiliter sciat, hoc vel illud verum esse, aut quod notitiam

8.

9.

10.

manus

11. manus ac sigilli exhibiti non habeat, daß Er nemlich weder Hand noch Siegel kenne. Hinc Scabini Lipsienses Mens. Nov. 1623. hunc in modum pronuntiarunt: Wann gleich sonst/ wenn einer sein eigen Brief und Siegel difficiren soll / derselbe wohl dahin gehalten werden mag/ daß Er nemlich schwehre/ wie das wider Ihn angegebene Document seine eigene Handschriſſe und Siegel nicht seye/ dieweil aber dennoch in gegenwärtigen Fall von Diffession eines andern Hand und Siegel gehandelt wird/ so wird das Juramentum diffessionis von denen J. dergestalt/ daß sie in denen producirten Documentis die Unterschrift und Siegel nicht kennen/ abgelegt/ und wenn solches von Ihnen geschehen / werden sie mit fernerm Zumuhten dißfalls billich vershonet. Neutiqvam tamen *diffessio sigilli vel manus tantum sufficit, sed & tenorem sive contenta scriptura* quis diffiteri debet. Es ist nicht gnug / daß die Diffessio des Siegels und Unterschrift vorgehe/ sondern es müssen auch die contenta eydlich diffitiret werden / ut fusius demonstrat *Imman. Sutor. de Edend. cit. membr. 2. cap. 5. th. 254.* Ultimò tamen nihil interest, utrum quis in propria persona, utrum verò per procuratorem *Juramentum Diffessionis* præstet, ut jam antea fusius innumimus. Quamvis enim *Mevius p. 6. Decis. 20. n. ult.* juxta praxin Saxoniam, *juratam diffessionem* à parte ipsa, nisi altera pars consentiat, peragendam esse statuat. Contrarium tamen superius evicimus; quamvis, si periculum perjurii subsit, non refragemur, principalem potius ipsum ad juramenti præstationem adstringendum esse.
12. Neutiqvam tamen *diffessio sigilli vel manus tantum sufficit, sed & tenorem sive contenta scriptura* quis diffiteri debet. Es ist nicht gnug / daß die Diffessio des Siegels und Unterschrift vorgehe/ sondern es müssen auch die contenta eydlich diffitiret werden / ut fusius demonstrat *Imman. Sutor. de Edend. cit. membr. 2. cap. 5. th. 254.*
13. Ultimò tamen nihil interest, utrum quis in propria persona, utrum verò per procuratorem *Juramentum Diffessionis* præstet, ut jam antea fusius innumimus. Quamvis enim *Mevius p. 6. Decis. 20. n. ult.* juxta praxin Saxoniam, *juratam diffessionem* à parte ipsa, nisi altera pars consentiat, peragendam esse statuat. Contrarium tamen superius evicimus; quamvis, si periculum perjurii subsit, non refragemur, principalem potius ipsum ad juramenti præstationem adstringendum esse.

- I. CAP. VI. Seqvuntur jam effectus hujus juramenti, inter quos *precipuus* ferme est, quod is, qui præstitit hoc juramentum, non statim *absolvatur*, nec producens causa cadat, sed potius ad *ulteriorem scriptura veritatem probandam admittatur*, sicq; res ad ordinarium processum devolvatur, quod ipsum quoq; ratio suggerit, quam communis Jcto- rum sententia seqvitur. Sicut enim in summaris & execu-
civis

tivis causis recognitio est loco & instar litis contestationis affirmativæ, add. Zang. de Except. p. 1. c. 2. n. 24. ita *Juramentum Diffessionis* est loco litis contestationis negativæ. Carpzov. lib. 4. Resp. 9. n. 9. quæ non operatur, ut producens penitus causâ cadat, aut scripturæ omnis detrahatur fides; sed rem solummodo illiquidam facit, ut sistatur processus executivus, & convertatur in ordinarium, sicq; ad probationes & reprobationes deveniatur, prout post Carpzov. cit. loc. in terminis terminantibus tradit, & per plures rationes confirmat Mev. part. 3. Decis. 172. per tot. it. part. 6. Dec. 278. per tot. Confirmationis gratiâ ad sententiam *Summi Tribunalis Wisnariensis in causa Christiani Hambshuns contra Mag. Caspari* provocat. Ergo post juratam diffessionem aut ad probationem allegatorum producens ulterius admitti, aut per comparationem literarum veritas exquiri, sicq; mediante hoc remedio scriptura confirmari potest, per l. 20. C. de fid. Instr. Quamvis comparatio per se sola, ad plenam probationem inducendam, haud sufficere videatur. Acriter quidem in hanc usq; diem disceptatum est: Qualem probationem comparatio producat, an plenam, an verò semiplenam? Hæc quæstio tamen per separationem diversorum temporum, quibus variæ hac de re prodierunt Constitutiones, optime decidi potest; Jure siquidem Codicis comparationem literarum plenam meruisse fidem, dubio caret, tum propter alleg. l. 20. C. de fid. Instr. tum propter l. 16. C. eod. à Cujac. restitutam. Vid. Fachin. lib. 11. Controv. 35. Jus Novellarum verò quod concernit, duæ in jure nostro reperiuntur novellæ Constitutiones, nimirum 49. & 73. quarum altera propositionem, in d. l. 20. relatam, quod scilicet ex publicis instrumentis & chirographis, trium testium subscriptione munitis, comparatio instituenda sit, propter suspicionem falsitatis cessantem ita extendit, ut comparatio partim ex scriptura ab adversario, sive eo, contra quem

3.

4.

5.

6.

C

peti-

- petitur comparatio, producta, partim etiam ex Archivis publicis deprompta fieri possit, circa effectum verò nihil novi constituit. *Alter* tamen, nim. 73. plus in recessu habet, suoq; merito inter difficillimas refertur, adeò ut *Petrus de Bella pertica* eandem à Diabolo positam esse dixerit. Restringit autem illa *Novell.* vim & efficaciam, quam veteres leges comparationi attribuebant. Justinianus enim, experienciã edoctus, omnimodam similitudinem literarum, propter malitiam manus alienas imitantium, non esse indubitatum indicium ejusdem scribentis; Contra omnimodam dissimilitudinem non esse indubitatum probationem, ob varias ætatis, valetudinis, atramenti, &c. circumstantias, *per dict. Nov.* constituit, ne, ob fallacem hunc probandi, modum comparationi, deficientibus aliis adminiculis, plena adhiberetur fides. vid. *Nov. 73. cap. 1. & 2. & Scacc. de Judic. lib. 2. c. 11. num. 1001.* quem sequitur *Johann. Domin. Gait. de Cred. cap. 2. n. 2833. & seq.* ubi plures consentientes Doctores allegat. *Add. Menoch. lib. 2. A. J. Q. Cent. 2. cap. 114. n. 24. Covarr. pract. quest. 22. n. 7. Umm. Disp. ad Process. 17. tb. 6. n. 37.* qui Judicis arbitrio committunt, quantum huic probationi tribuere debeat. *Alter effectus* est, quod hoc *Juramentum diffessionis nequeat referri*. Nec enim, recognoscere documenta nolens, juratò ea diffiteri jussus audietur, si jusjurandum referre, & sic *diffessionem juratam* declinare velit, quia jusjurandum hoc non a parte adversa, sed lege defertur. *Berlich. p. 1. Concl. 44. n. 55. Brunnem. de Process. Civil. c. 19. n. 36. sub. fin.* ac propterea est legale juramentum, legalia verò juramenta non referri, certum est, *cap. ult. X. de jurejur. Setser de Juram. lib. 4. c. 17. n. 2.* ex ratione satis probabili, quod non sit, cui referri possit, non parati, ut quæ juramentum non detulit, nec etiam judici, quia absurdum foret, illum onere probationis vel jurisjurandi, quod litigantibus incumbit, gravare. Cum ergo *jusjurandum*
- difses-*

diffessionis id potissimum operetur, ne reus, instrumenta recognoscere jussus, ex confessione sua, quam recognitio intendit ac efficit, condemnetur, *arg. l. 25. §. ult. ff. de probat. l. 19. C. de fid. Instr.* sicq; juramento suo quasi se purget, absolum sane esset, id ipsum referri posse. Vid. *Carpzov. in Process. tit. 12. art. 2. n. 89.* Tertius effectus hujus juramenti est, quod instrumenta vel documenta jurato diffiteri jussus probationibus illud jusjurandum declinare nequeat. Quia in probationibus, quæ documentis perficiuntur, eorundem recognitio vel jurata diffessio exigitur, cujus loco si permetteretur probatio alia, ex una probatione altera dependeret, sicq; processus novum gigneret processum, nec tam subito finis litium sperandus foret, cum tamen Reip. interfit, lites ocys finiri. *l. 13. pr. & §. 1. C. de Judic. l. 10. C. de Transact.* Et si in executivo processu instrumenti obligatorii petatur jurata diffessio, probatio propterea tutò est deneganda, ne processus executivus per probationes ordinarias commutetur in processum ordinarium, atq; hoc modo executio, ex instrumento Guarentigiato instituta, frivole retardetur. *vid. Moller. lib. 2. Semestr. 18.* Quartus est, quod si reus, citatus ad diffessionem, eandem recuset, aut differat, instrumentum productum pro recognito, & lis pro affirmative contestata, sicq; reus pro confessio & convicto habeatur, quo casu non aliter procedendum, quam si instrumentum fuisset probè recognitum & confessatum. *Gail. lib. 1. Observ. 80. n. 6. Coler. de Process. execut. part. 3. cap. 1. n. 101. Carpzov. lib. 4. Respons. 9. num. 9.* Hinc quoties recognitio in Camera petitur, toties quoq; illa, sive jurata diffessio in continenti facienda, sub pœna procuratorum & consveto præjudicio. Pœna procuratorum quænam sit, tradit *Blum. in Process. Cam. tit. 63. n. 47.* Consuetum verò præjudicium est, quod illa documenta, in vim probationis producta, in contumaciam pro recognitis acceptentur *Gail. lib. 1. de Pac. Publ. cap. 15. n. 14.* Hoc tamen non procedit,

12.

13.

14.

15.

16.

si magnitudo causæ & personarum qualitas aliud svadeat, quo casu sigilla per comparisonem, seu alio legitimo modo probanda sunt. *Gail. d. c. 15. n. 16.* Imò Judex Cameræ sæpius mitius procedit, priusq; interloqui solet, ut tradit *Blum. cit. tit. 63. n. 48.* Tandem hic norandum, quod in puncto *diffefforum documentorum* usq; ad replicas tantum procedere liceat. *Blum. cit. tit. 63. num. 18.*


- I. CAP. VII. *Contraria* sunt modi, quibus cessat *Juramentum Diffeffionis*. Cessat autem, si producens documenta per testes juratos recognoscere malit. In arbitrio enim producentis est, an *diffeffioni juratæ* alterius, an verò recognitioni testium juratorum rem committere velit. *Berlich. part. 1. Concl. 44. n. 48. Carpz. p. 1. Const. 17. Def. 14.* Formula à *Dn. Carpz.* hoc in casu talis exhibetur: *Daß der Beklagte die producirte documenta zu recognosciren oder Eydlich zu diffitiren (schuldig) es wolte dann Kläger / auffm Fall sich der Beklagte zur Eydlichen Diffeffion erböte / es darzu nicht gelangen lassen / sondern / daß es richtige Documenta, durch Zeugen beweisen / damit würde er billig gehöret.* Jurare autem testes propterea compelluntur, quia illis, absq; juramento deponentibus, fides habenda non est. Omnis siquidem vis ac potestas attestacionum in testium jurejurando consistit. *l. 9. C. de Test. cap. 5. & eod.* Atq; hæc recognitio, per testes facta, ad evitandam *juratam diffeffionem* sæpius hodie suscipitur. Illud namq; certum est, comparisonem literarum moribus nostris rarius fieri; solet autem Instrumentum recognosci per testes, quibus defuncti manus atq; sigillum cognita atq; perspecta fuere, prout hanc Practicam post *Carpzov. p. 1. Const. 17. def. 14.* tradit *Brunnem. de Proc. Civil. c. 19. n. 21.* Imò, si quis juratò *diffeffus* sit instrumentum, integrum est producenti de falsitate *diffeffionis*, vel etiam de perjurio alterius quærerere, quia hoc juramentum non producens detulit, sed lex, uti in *cap. preced.* demonstratum. Vid. *Brunneman. de Process. Civil. cit. cap. 19. num. 36.*

num. 36. sub fin. Deniq; notandum, quod jurata diffessioni, ne fiat, vel ut facta annulletur, quoq; contrariantur error atq; dolus, ut & falsitas. Quare is, qui propriam manum atq; sigillum pertinaciter abnegat, crimen falsi committit. *Zaf. ad l. i. §. editiones ff. de edendo n. 28. sub fin.* quâ detectâ, diffessio ista per sententiam judicis, ut instrumenta probent, rescindi atq; retractari debet. *Rauchbar. p. 2. qu. 4. n. 40.* Atq; hæc de ardua hujus juramenti materia saltim monuisse sufficiant, quibus, majoris illustrationis gratiâ, sequens *Responsum inclutæ Facultatis Juridicæ in hac nostrâ Altdorffina*, quo nuperrime *Juramentum Diffessionis* notanter confirmavit, coronidis gratiâ adjiciendum esse duximus:

In geklagter Schuldsachen derer Herrn Gebrüder von B. zu L. und Consorten / Klägern an einem / entgegen und wider die Gemeinde zu F. Beklagte am andern Theil / Erkennen Wir Hauptmann / Räte und Ausschuss ohnmittelbahrs freyer Reichs Ritterschafft Landes zu F. Orts R. und W. nach Ausspruch unparthenischer Rechtsgelehrten / vor recht : Weilen nunmehr Beklagte die producirte Documenta eydlich diffitiret / als seind Herrn Klägere / da sie Beklagte fernern Anspruchs zu erlassen nicht gemeinet / das libellirte Debitum und darbey stehende Bürgschafft der Gemeinde zu F. binnen einer legalen Frist / die Ihnen Ortswegen anzuberaumen / wie recht ordentlich zu beweisen schuldig / darwider Beklagten Ihr Gegenbeweiß und andere Rechtliche Nothdurfft / die sie durch hierzu verordnete Syndicos einzubringen haben / billich vorbehalten wird / ferner darauf zu beschehen / was recht ist /

B. R. W.

DEO soli sit Laus & Gloria in
infinita Secula.



Magnam Litera vim scripta profecto habet
 in Rostris: petulans lingua licet neget,
 adfirmet licet, ac impleat improbis
 verbis Causidicus Judicialia
 claustra: adhuc Acherontais moveat, tamen
 nunquam, crede, fidem iudicii pii
 flectet, scriptave non scripta loquetur; hem,
 tum signi nota, tum dextra manus petet
 certe propria, causa jugulum tuae,
 ni Diffessio te liberet optima
 Juramenti equidem: ceu docet ac refert
 UFFENBACHIUS. O quam bene! nunc patet,
 quid juris dederit Patria; quid TIBI
 Argentina boni tradiderit, quibus
 Tubingæ documentis fueris datus,
 Altorphina etiam quid doceat TEMET?
 Juro, quod Themidos premia conferat,
 Certe, hæc ultima digna, atq; quidem brevi!


Augurium hoc haud vanum, cum gratulatione
 non ficta seculi more, accipe Nobilissime &
 rarioris eruditionis laude maxime conspi-
 cue, Domine UFFENBACHI, Fautor & Amice
 vel Solduriorum lege mihi Devincte,

à Tuo Consalino,

NÜCHTERLINO, M. Ph.

F I N I S.






Altdorf, Diss., 1676/77


ULB Halle


3

003 343 685



TA-OL





B.I.G.

Farbkarte #13

№ 217. 23

N. J.

1677 7

ENTUM SIONIS

ERANTE

ICO Sinden / D.

tecefs.

April. A. 1677.

A ALTDORFFINA

rum disquisitioni
iciet

OBUS Uffenbach /
Francof.

ORFFI,

YERI, Univ. Typogr.

